



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

X. De membro truncato post tertium diem subueniendo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

mum retinuerit, legis violatæ pœnam subito, Anglus mulcta afficitor. Dacorum quisquam si ad candelas nummum non dederit, iuris violati pœnas luto, Anglus plectitor. Dacus si iustum nomine aratri eleemosynam non soluerit, ruptæ legis pœnam dependito, Anglo autem, si quid delinquitur, mulcta irrogator. Dacus si iura, aut officia quæcumque diuina suppresserit, aut retinuerit, legis violatæ pœnam dependito, Anglus mulctator. Si quis contumaciter obſistendo alium iura atque officia diuina petentem vulnerarit, capitale esto: Sin mortem obtulerit, ab omni legis patrocinio deſtitutus habetor, eumque omnes iustitiae cultores vel inuitum ac læſum capiunto. Atque si eum suapte culpa iuri diuino aut regio fe oppONENTEM morte occubuisse liquido confirmetur, propterea ne quidquam penditor.

VII.

Dacus si die dominico quidquam fuerit mercatus, re ipsa, & oris præterea duodecim mulctator, Anglus 30. ſolidos numerato. Liber si die quocumque festo operis quidquam fecerit, aut seruituti ſubiaceto, aut mulctam, legisque violatæ pœnam dependito: ſeruus vapulato, aut prelio virgarum metum redimoto. Dacus ſi ſeruo ſuo inuito opus addixerit die quocumque festo, rupti iuris pœnam dato, Anglus mulcta afficitor.

VIII.

Liber ſi indictum iejunium cibo ſumpto diſſoluerit, & mulcta, & ipsa legis violatæ poena plectitor, ſeruus vapulato, aut prelio redimoto.

IX.

Porro autem festis diebus omnibus, & legitimis ieuniis ordalium nullus ingreditor, neve ad iufiurandum addicitor. Dacorum ſi quis contra fecerit, legis violatæ pœnas dato, Anglus mulcta plectitor.

Nemo, quoad eius fieri poterit, cuiuscumque ſceleris admissi conscius, die dominico morti obiector, verum comprehensus, vſque dum dies festus tranſierit, tenetor.

X.

Si cui membrum corporis ſceleris admissi cauſa præcidatur, ifque tres noctes ſuperstes fuerit, quisque deinceps

Concil. Tom. 24.

Xxxij

impune, impetrata tamen ab episcopo venia, aut eius vulneri medicinam, aut animo consolationem adhibeat.

XI.

Sagæ, ariolantes mulierculæ, periuriosæ, pestiferæ, & meretrices foedæ, ac flagitiosæ, sicubi deprehendantur, a finibus regni, ut pura & integra plebs sit, relegentur, aut in regno, ni ab illa mente desiterint, & accumulatius compensarint, male pereunto.

XII.

Si quis sacris initiatus, incolave, in iis quæ ad fortunas, vitamve eius spectarint, decipiatur, tum ei nationis illius rex, aut satrapes & episcopus loco cognatorum, & patroni funto, ni is aliunde habuerit. Fraudator vero, prout feret maleficii ratio, Deo & regi satisfacito, aut graues, qui est regionis illius princeps, sceleris admissi poenas repetito,

Desiderantur nonnulla.

CONCILIVM TROSLEIANVM
APVD TROSLEIVM IN PAGO SVESSONICO
ab Heriueo Rhemensi archiepiscopo, eiusque suffraganeis celebratum die vi. Kalendas Iulias, anno Christi
DCCCCIX. Sergii papæ III. anno II. Caroli Simplicis
regis XVII.

ANNO
CHRISTI
909.

TITVL I CAPITVLORVM.

- I. *De honore & cultu ecclesiistarum
Dei.*
- II. *De statu regni, & fidelitate regis.*
- III. *De regulari statu iam pene col-
lapso.*
- IV. *De sacrilegis, & eorum dam-
natione.*
- V. *De vexatione, & inhonoratio-
ne sacerdotum.*
- VI. *De dotibus & decimis ecclesia-
rum, & de censu pro eis non exi-
gendo.*
- VII. *De rapienis.*
- VIII. *De raptis, & occultis nu-
ptiis, & incestis.*
- IX. *De accessu, & frequentatione,
ac cohabitatione presbyterorum
& clericorum cum feminis.*
- X. *De fugiendo luxuriam.*
- XI. *De periuriis cohibendis.*
- XII. *De discordantibus, iracun-
dis, & litigiosis.*
- XIII. *De homicidis & mendaci-
bus.*
- XIV. *De non diripiendis ecclesia-
rebus defuncto episcopo.*
- XV. *Epilogus ad episcopos, & ge-
neraliter ad omnes.*